

AB  
59446





~~Sammlung  
z. Anselmi-  
mus.  
1811~~

No 4039 \*

FSS





THESES

DE PRAEEDICABILIBVS ET PRAEDICAMENTIS.


In illustri IVLIA ad disputandum publicè propositæ

A  
M. CORNELIO MARTINO, LOGICES  
professore publico,

Respondente  
HENRICO HESSO BRVNOVICENSI.

*Ad 17. Martij.*

*15 Martij*



No 4040 \*

HELMAESTADII  
Excudebat Iacobus Lucius, Anno 1593.



THESES

DE PRAXI MEDICAE

BIBLIYS ET PRAXI

GAMENITIS

IV

150

In illis VII ad dispensandum publici

ce propolis

151

M. CORNELIO MARTINO, LOGO

et professore publico

respondente

HENRICO HESSE BRUNOVICENSI

12 Martii



HENRICO HESSE

Ex libris Jacobus Lucas Anno 1793





## I.



Régula & norma mentis humanæ est Logica, actiones eius dirigens ad perfectionem in hac vita ultimam, quæ est veritas.

## II.

Eius cum & definitionem & diuisionem assignarimus, consequens nunc est vt singulæ partes in considerationem veniant.

## III.

Inter quas ea primum locum obtinet, quæ de simplicibus notionibus docet. Nam illæ vti totius Philosophiæ sic huius etiam sunt instrumenti subiectum.

## IIII.

Diuersimodè tamen, cum veluti Philosophia non etiam Logice primos rerum conceptus simpliciter consideret, sed quatenus secundis intentionibus diriguntur, & informantur quasi, vti ad opus seu finem Logices internum aptæ efficiantur.

## V.

Mentis quippe conceptus duplices esse ex Philosophis discimus, primos qui simulachra sint & Ideæ rerum, quatenus extra mentem subsistunt, à quibus videlicet rebus notiones istæ tanquam mensuræ mensurantur, vt simulachrum seu Idea animalis, hominis, bouis &c. Secundos qui de rebus illis iam in anima conceptis fiunt, reflectente se intellectu supra conceptus factos, & conceptuum alios conceptus faciente, qui non à re aliqua extra intellectum mensurentur, vt sint instrumenta quibus in primis illis digerendis commodè vti possit, quales sunt genus, species, subiectum, prædicatum &c.

## VI.

Primæ igitur notiones Logicæ considerationi subiacent, quatenus talibus secundis notionibus determinantur, vt commodæ fiant ad prædicationem, siue quod idem est, vt naturam prædicati in propositionibus assumere possint.



## VII.

Nanciscuntur illam quinque modis, aut enim prædicantur ut Genus, aut ut Species, aut ut Differentia, aut ut Proprium aut postremò ut Accidens.

## VIII.

Genus eam dicimus notionem, quæ pluribus specie differentibus ex æquò applicatur, de quibus prædicatur in quæstione QUID fit, ut Substantia Quantitas &c.

## IX.

Species notio est contractior, quæ Generi subest proximè, de qua Genus in QUID fit dicitur, ut Homo, Bos, Leo,

## X.

Genus illud dicitur Generalissimum quod summum est, & rationem Speciei nunquam subit, sicut Species specialissima semper species est, genus nunquam. Quæ verò inter duo ista posita sunt, vocantur Genera & Species subalternæ, quòd utramque & Generis & Speciei naturam assumant, sed alio atque alio respectu, ut animal, corpus animatum, corpus.

## XI.

Differentia conceptus est, qui generi additus, essentiam Speciei constituit, & prædicatur in QUALE, ut rationale.

## XII.

Tria hæc prædicabilia essentiam rei designant, quomodo etiam prædicari debent, cum prædicatio rei naturam sequatur; Proprium verò & Accidens non item.

## XIII.

Proprium definimus notionem, quæ vni speciei eiq; omni siue toti & semper inest, cuius tamen pars constituens non est, sed constitutam necessariò sequitur, deq; ea prædicatur in QUALE, Ut Risibilitas

## XIIII.

Accidens Prædicabile (nam illud omninò à prædicamentali distinguendum est) rectissimè forsitan negatione reliquorum de-



rum describatur, quòd cùm videlicet de re prædicetur, eius ta-  
men neq; Genus, neq; est Species, non Differentia, non Propri-  
um.

XV.

Prædicatio Generis & Speciei est Synonyma, reliquorum  
Paronyma. Nam quæ per Homonymiam fit, à Logico rejicitur,  
excepta tamen ea, quæ magnum vsum habet, & à Logicis voca-  
ri solet, secundum prius & posterius.

XVI.

Synonyma vocantur, quorum & nomen est commune &  
ad illud nomen accommodata definitio eadem, vt Animalis &  
nomen & definitio de homine prædicatur.

XVII.

Paronyma siue denominatiua, quæ vulgò appellantur con-  
creta, ea sunt Prædicabilia, quæ nisi mutato casu, prædicari re-  
ctè non possunt, vt Iusticia de homine prædicari nequit, nisi  
mutet casum. Non enim rectè dixeris, homo est Iusticia, sed  
homo est iustus.

XVIII.

Secundum prius & posterius Homonyma sunt, non tamen  
simpliciter, sed medium aliquid inter Synonymum & Homony-  
mum, quando videlicet nomen commune vni alicui rei princi-  
paliter, secundariò autem & propter eam alijs quoq; tribuitur,  
ita Ens prædicatur de Substantia primò, secundariò verò & pro-  
pter Substantiam de Accidente.

XIX.

Isti sunt modi quibus secundæ notiones, primas habiles  
reddunt ad prædicationem, quo postea veritatem commodè  
assequi possit ratio.

XX.

At cùm modus prædicandi talis esse debeat, qualis est, ( vt  
loquuntur ) modus essendi, cognitio primorum etiam noëma-  
tum Logico est necessaria, vt sciat sub quo Entis Genere, v-  
numquodq;, contineatur.



## XXI.

Diuisionem igitur Entis decem Generibus distributam à Metaphysico mutuatur, & suo vocabulo Prædicamenta appellat.

## XXII.

Ens enim cùm diuidatur in Substantiam & Accidens, diuisione, vt diximus, secundum prius & posterius, Substantiæ vnū, nouem verò Accidentium ponunt Genera.

## XXIII.

Accidens hîc intelligimus non Prædicabile sed Prædicamentale, quod describas Ens ab & in alio existens, habens Esse à subiecto.

## XXIII.

Substantia quæ primum est Prædicamentum basis & fundamentum omnium reliquorum, est Ens quod re vera proprium Esse habet, nec est in alio, vt in subiecto.

## XXV.

Duplicem hanc facit Philolophus, primam & secundam: Illa neq; in subiecto est, neq; de eo dicitur, videlicet, omnia Individua Substantialia. Hæc quæ non est quidem in subiecto sed tamen de eo prædicatur Synonymè, vt sunt Species & Genera.

## XXVI.

Diuisio hæc est secundum prius & posterius. Nam per & propter primas sunt secundæ, eò fit quod vt quæq; primæ est proxima ita substantia magis est, Prima vero maximè, quia mensura est reliquarum.

## XXVII.

Porro Secunda substantia, diuiditur in Corporeum & Incorporeum. Corporeum in Inanimatū in & Animatū. Inanimatū Simplex & Mistum. Simplex in Elementum & Cæleste corpus. Mistum in Lapidem Metalla & Liquores terrestres. Animatum in animal & Plantam. Planta in Arborem, fruticem, herbam. Animal in Brutum & hominem &c. Quam diuisionem accuratè persequendam Philosophis relinquimus: Logico satis est Generaliter hæc nosse.

Affe-



XXVIII.

Affectiones Substantiæ numerantur à Philosopho. 1 Quòd in subiecto non sit. 2 Quòd Synonimeos prædicatur. 3 Quòd ea sola  $\tau\epsilon\ \delta\iota\epsilon\ \pi\iota$  constituit. 4 Quòd ei nihil sit contrarium. 5 Quòd magis & minus respuat, illud tamen de substantia  $\kappa\epsilon\ \beta\alpha\theta\omicron$  ne intelligas sed  $\kappa\epsilon\ \omega\lambda\acute{\alpha}\theta\omicron$ . 6 Quòd vna & eadem manens susceptiua sit contrariorum.

XXIX.

Excipit Substantiã inter Accidentia prima Quantitas Ens propter quod substantia in partes diuidi potest.

XXX.

Diuersitas illarum partium duplicem causat Quantitatem: cuiusdam enim totius partes tales sunt vt communi termino aliquo coniungantur, dantq; illæ Quantitatem Continuum: cuiusdam verò non, quæ Discretam.

XXXI.

Continuæ Quantitates sunt linea, superficies, corpus. Discretæ numerus numerans, non verò numeratus.

XXXII.

Affectiones Quanti ponuntur à Philosopho tres. 1 Quanto nihil esse Contrarium. 2 Non recipere magis & minus. 3 Ratione Quantitatis res dici æquales & inæquales.

XXXIII.

Quantitatem rectè sequitur Qualitatis Prædicamentum, quia & illud sicut præcedens absoluta continet accidentia.

XXXIII.

Describitur ab eodem, quòd sit Accidens siue forma accidentalis secundum quam res quales dicuntur.

XXXV.

Species habet quatuor. 1 Habitum & dispositionem. 2 naturalem potentiam & impotentiam. 3 Patibiles Qualitates &  $\pi\acute{\alpha}\theta\eta$ . 4 Quartò Figuram & Formam.

A 4

Habitus



## XXXVI

Habitus Qualitas est, non natura nobis infita, sed longa exercitatione comparata, cuius beneficio homines aliaq; animalia possunt certius agere, & pati ea, ad quæ agenda & patientia natura sua non erant inepta.

## XXXVII.

Habitus quando inchoatus tantum est Dispositio dicitur, motus videlicet ea determinatio, quæ facillè mutari & ad priuationem recidere potest.

## XXXVIII.

*Δύναμις Φύσικη*, Vis naturalis Qualitas est congenita, per quam redditur aliquid potens ad efficiendum, resistendum, vel suscipiendum, quod ad ipsius perfectionem pertinet.

## XXXIX.

*Αδυναμία* vero siue imbecillitas naturalis qualitas est ingenua quâ res impotens redditur ad efficiendum, aut resistendum, vel suscipiendum, quod ad perfectionem ipsius pertinet.

## XL:

Patibilis Qualitas est, quæ passionis circa sensus effectrix est, ut sunt omnia obiecta sensuum quæ dicuntur patibiles, non quòd ea in quibus sunt subiecta aliquid patiantur, ut mel à dulcedine, fel ab amaritudine: Sed quia alia ab ijs, nimirum sensus.

## XLI.

Nonnullæ tamen patibiles nominantur ob id, quòd subiecta ijs prædita mutationem perpessa sint, quæ vestigia reliquit, ut perpetuus pallor ex morbo.

## XLII.

Quod si mutationes illæ citò desinant, ut rubor ex verecundia, passiones dicuntur.

## XLIII.

Figura superest & Forma: illam definitio Qualitatem Quantitates determinans, ut circulus, globus &c. Hanc verò Qualitatem

litatem



litatem rei externam quæ in oculos incurrit, ex natura diuer-  
sarum partium magnitudine, figuratione, situ, colore, emer-  
gens.

XLIIII.

Affectiones huius Prædicamenti itidem tres ponuntur, 1.  
Contrarietatem suscipiunt Qualitates. 2. Magis etiam & mi-  
nus. 3. Secundum eam res similes dicuntur & dissimiles.

XLV.

Absoluta Prædicamenta tot sunt, Relationis sequitur, ea  
continens quæ *σχέσιν τινὰ* seu respectum ad se inuicem habent:  
Quorum duplicem ponit Philosophus definitionem.

XLVI.

Vna est antiquorum, qua Relata definiuntur ea, quæ id  
quod sunt aliorum esse dicuntur, vel quocunq; alio modo ad  
aliud referuntur.

XLVII.

Latior est hæc definitio, quippe quæ absoluta quoq; con-  
tineat, quare Philosophus aliam tradit, nimirum: Relata sunt  
quorum tota essentia nihil aliud est quàm ad aliud se habere, vt  
patris tota essentia est referri ad filium, filij ad patrem.

XLVIII.

Omnis Relatio, quod hinc patere potest, inter duo confi-  
stit, quæ relata vel correlatiua dicuntur, inter quæ via qua pro-  
gressio ista fit Relatio dicitur, Veluti inter dominum & seruum  
correlatiua duo, intercedit media relatio, quæ à parte illius do-  
minatio, huius verò seruitus dicitur.

XLIX.

Ex duplici definitione duplex relatorum genus originem  
trahit, vnum secundum dici, alterum secundum esse.

L.

Prioris generis sunt, quæ referuntur quidem ad aliud, non  
tamen simpliciter, nec totum eorum esse est referri, quippe  
quæ principaliter in alio sunt prædicamento, vt scientia,  
lensus. Alteri-



L I.

Alterius verò generis vt ex definitione liquet, tota essentiã referuntur, ita vt in alio prædicamento non sint, vt pater, filius.

L II.

Porro præter diuisiones quibus in *Φύσει & θέσει*: in mutua & non mutua: in æquiparantiã & disquiparantiã distinguuntur ratione fundamenti diuisio quædam est animaduertenda.

L III.

Nam cum accidens sit relatio subiecto inhærere debet, vt aliã omnia. Hoc tamen differt; quod reliqua quidem accidentia per se & absolutè ei insint, relatio non item, sed alio aliquo accidente fulcienda sit.

L IIII.

Accidens hoc quo sustentatur relatio, peripateticis fundamentum dicitur.

L V.

Estq; aut Quantitas aut Qualitas, secundæ vel tertiæ speciei. Illius exempla sunt, duplum dimidium, magnum paruum. Huius vero simile dissimile &c. Nam magna substantia dici non potest nisi propter Quantitatem, similis propter Qualitatem.

L VI.

Addunt & tertium genus quod secundum mensuram & mensuratum opponitur. Sed cum eorum quoq; fundamentum ad præcedentia prædicamenta necessario referatur, illi superfedemus.

L VII.

Affectiões Philosophus assignat quatuor, quarum duæ priores, nimirum Quod relata contrarietatem suscipiant, item quod magis & minus, ad ea quæ secundum dici sunt, & in prædicamento Qualitatis fundantur referimus. Reliquæ vero duæ videlicet, quod relata *πρός ἀντιπέφοντα* dicantur, item quod natura simul sint, ad relata secundum esse quoq; referuntur.

L VIII.

Quæ supersunt Prædicamenta sex videlicet, Actio, Passio,  
Vbi,



Vbi, Quando, Situs, & Habere, quia facilia sunt, neq; tantum præstant vsum quantum præcedentia, leuiter ab Aristotele percurruntur, eoq; de ijs multa agere nihil attinet, descriptiones tamen Porretani & aliorum subijciemus.

LIX.

Actionem describunt, secundum quam in id quod subijcitur agere dicimur.

LX.

Passionem, prout peculiare constituit prædicamentum effectum & illationem Actionis.

LXI.

Vbi, circumscriptionem corporis à Locì circumscriptione prouenientem.

LXII.

Quando, habitudinem rei temporalis, quæ in ea prouenit quatenus mensuratur tempore, in quo est, fuit, vel erit.

LXIII.

Situm, positionem partium & generationis ordinationem.

LXIII.

Postremo Habere, per quod habitudo quædam oriatur in corpore ex applicatione alterius alicuius rei, siue vestimentum sit, siue ornamentum.

LXV.

Hæc sunt decem illa summa genera, quibus quicquid est, præter vnum Deum, includitur, quæ confundere nemo potest, nisi naturæ vim inferat, quod Antiqui esse dixerunt, cum Dijs bellum gerere.

COROLLARIA.

I.

*Petrus Ramus cum diuisionem Entis in substantiam & Accidens reiecit, fundamentum totius Philosophiæ subruere conatus est.*



II.

*An definitio Relatorum P. R. Relata sunt Contraria affirmantia quorum alterum constat ex mutua alterius affectione, bona sit?*

III.

*An locus sit subiectum omnium rerum.*

IV.

*An motus sit adiunctum omnium tam entium quam non entium.*

V.

*An vnica tantum methodus sit.*





59 446

AB 59 446

ULB Halle 3  
002 631 334




S. 6.

W. A.








No 4

No 4







B.I.G.

Farbkarte #13

THESES  
DE PRAEEDICA-  
BILIBVS ET PRAEDI-  
CAMENTIS.

3



In illustri IVLIA ad disputandum publi-  
cè propositæ

<sup>A</sup>  
M. CORNELIO MARTINO, LOGI-  
ces professore publico,

Respondente  
HENRICO HESSO BRVNOVICENSI.

~~Ad 17. Martij.~~

15 Martij



HELMAESTADII  
Excudebat Iacobus Lucius, Anno 1593.

3

